



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

§. VII. Valedicit Filio Mater.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](#)

*fundas faciem meam. Quandoquidem dicat mihi
filius tuus, jam & frater meus, quia tu mater mea;
Ecce Mater tua: hoc unum obsecro, & salvus fu-
eo: Monstra te esse Matrem.*

§. VII.

Valedicit Filio Mater.

PEtiisti ut mater Dei se monstraret erga te esse matrem: petit & illa vicissim à te: monstra te esse filium. Monstrabis , si exemplum dilecti Christo discipuli sequaris , qui de se ipso ita scribit : *Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.*

Ex illa hora. O felix hora , & ter felix hora, quâ accipitur Maria in Matrem. Venit hora, & jam est , quando Christus , quem hic agnoscis præsentem, & adoras , tibi dicit tacitè ex hac aera, quod altâ voce è Cruce dixit suo dilecto Discipulo : *Ecce Mater tua.* Hâc ipsâ horâ, quâ hæc verba pronuntio, hoc dicit : cur non hâc hoâ accipis illam in tuam ? In tuam Dominam, ut ei servias; in Patronam, ut ei confidas ; in Advocatam , ut ab ea patrocinium expectes ; in Reginam, ut ei obedias ; in Matrem, ut eam diligas, & ab ea vicissim diligaris. Cur non ex hac hora totum te ei offers , tua illi obsequia consercas, tuam ei voluntatem resignas ? Sed ecce, dum ego de Matre ago , Filius morti proximus dicit mœstum & simul extremum Matri vale. Sciens ergò Jesus quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem , ultimâ alloquitur Matrem:

rem: Vale ô Mater: ecce enim opus, quod de-
dit mihi Pater, ut facerem, jam consummatum
est. Exiri à Paire, & veni in mundum: iterum relin-
quo mundum, & vado ad Patrem. Vale Mater: Et-
ce venit hora, & jam venit, ut redeam ad eum, qui
misit me. Adest ille, ut accipiat in manus suas
spiritum meum: Mater in manus tuas commen-
do corpus meum. Tu quæ, cùm essem infans
in stabulo, reclinasti corpus meum in præse-
pium, reclina illud mortuum in tumulum. Tu,
quæ involvisti illud pannis, involve nunc syndo-
ne mundâ. Mundus jam gaudet, tu vero mater
mea contristaris: sed expecta modicum, & tri-
stitia tua vertetur in gaudium, & gaudium tuum
nemo tollet à te. Tunc ablstergam omnem la-
crymam ab oculis tuis, quam diligo ut pupillam
oculi mei. Vale mater: amodò non audies me
loquentem tibi, quia mors nunc imminet mihi.
Aspice extremum, dum adhuc vivit, Filium. Ec-
ce Filius tuus jam moritur, dum te alloquitur.
Ecce paulatim clauduntur oculi, pallescunt la-
bia, contrahitur frons, rigent membra, stupent
artus, frigent pedes, totum corpus gelido per-
funditur sudore. Tempus est, ut Filio tuo mo-
stissimo, & tu Mater dicas extremum vale. Illa
ergo elevans oculos suos, emittit mille ad il-
lum, in quo solo respirabat, suspiria, dicens
amaro corde: Vale Fili, vale lumen oculo-
rum meorum: vale vita vitæ meæ, vale uni-
cum solarium meum. Ita Fili, quia sic placi-
tum fuit ante te: non mea, sed tua voluntas
fiat. Vale extremum Fili, & memento matris
tuæ, cùm veneris in regnum Patris tui. O Ma-
ter, non jam Mater! Non est qui consoletur

te, non est usque ad unum ; quia qui unus est
 Thren.2. solatium tuum, emittit spiritum suum. Magna
 13. est velut mare contritio tua : quis medebitur tibi ?
 Tenebrae factæ sunt super universam terram :
 terra tremuit, elementa titubant, dissillunt la-
 pides, tota turbatur rerum natura ; in tanto
 trepidantis, ac penè deficientis naturæ terrore,
 quis medebitur tibi ? Tota exultat Judæa, applau-
 dit sibi Synagoga, congaudent Scribæ & Pha-
 risæi, exultant hostes omnes Filii Dei, quia
 moritur Filius tuus : *Quis medebitur tibi ?* Petrus
 præ timore latet, Joannes præ dolore tacet, Ja-
 cobus præ metu comparere non audet, alii
 præ stupore rigent, omnes te afflictam, tibi
 afflissimæ relinquunt. *Quis medebitur tibi ?*
 Mater dolore attonita stupet : Filius plenus a-
 maritudine silet : ingens inter utrumque est si-
 lentium oris, sed magnus clamor cordis. In
 hoc tanto utriusque silentio, cui adhuc libet
 loqui ? Unum superest, ut silens doleam cum
 silentे & dolente, & usurpem flebilis Vatis ver-
 ba : *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fon-
 tem lacrymarum, & plorabo die ac nocte mœstissi-
 mam mœstissimi Filii Matrem ? O JESU ! ô Ma-
 ria ! ô Fili ! ô Mater ! JESUS, quantus tuus erga me
 amor ! Maria, quantus tuus pro me dolor ? Non
 est dolor, sicut dolor tuus, ô Maria !
 non est amor, sicut amor tuus,
 ô JESU !*